

earum responsorias dare nunc primum permisit tempus. Amstelodami sæpius adibam Dnum Burmannum & filium, Lugduni Gronovianas collectiones pluries perlustravi. Horum devotissima Tibi annuntio. Dnum Royenum Lugduni tunc temporis non præsentem haud vidi. Dr. Pallas inveni Hagæ Com. talem qualem eum descripsisti, se nullas de Te vidisse literas affirmavit. Zoophyta edere incepit omnia, novisque descriptionibus omnia, quæ vidit, proposuit. Systema elegit novum. Figuras habet nullas sed tantum excitationes Autorum, quos non semper debita tractat modestia. Scientiam multis observationibus novisque detectis adauxit, optandum ut virtutem viri simul cum eruditione monstraret singula pagina. Opus de Coleoptris sero prodibit. Non videbam plures tabulas excisas quam unica ista sed ingentem numerum iconum elegantiorum. Tempus terunt novo effingendo Systemate, et siquidem nullum intelligunt, procedunt numerando, hinc illis arridet Geoffroy. Sed cum eorum scopo haud est sufficiens, vel interdum defecto ipsorum, innumera genera miris nominibus dicta effingunt. Eo ordine opus aggredi tabulasque edere propositum habent. Vir iste senior debilis adeo, ut vix vita illi erit duratura in tantum tempus, quod huic sufficiet operi. Filius ejus bonus quidem vir, sed patre multo ignorantior. Spero Te jam accepisse aves per Dn. Koustrup. Bradypus Amstelodamensis erat mortuus. In Vivario ibi haud rara erant animalia, vidi Simiam caudatam fronte rugosa subnuda, dorso nigro, collo humeris et pectore albidis ex Surinam, sonum edebat pipientem, magn. minoris cuniculi. Paucas vidi Simias ideoque nec potui determinare utrum descriptus erat nec nè. Animal forte Viverra digitis 5. dentibus incisoribus infra nullis ideoque de ea hæsitabam. Reliqua erant Viverra mungo, Hystrix, Felis apicibus auricularum flocco pendulo instructis, Brisson ni fallor. Quando ab Anglia per Hollandiam ad Parisias pergo, melius præstabo observationes, quas tunc temporis occasio non permisit. Degi Hollandiæ usque ad finem ferè Decembris, ut videas circumscriptum mihi fuisse tempus. Atque cum in Univ. Hafn. jam constitutus sum Docens Hist. Natur. & Oeconom. non licuit mihi